

Ego Chryfogonus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Praxedis s. Ego Rainerius Presbyter Cardinalis tituli sancte Priscæ s. Ego Guido Presbyter tituli sancte Cæcilie s. Ego Ubaldus Diaconus Cardinalis sancte Marie in Via lata s. Ego Ubaldus Diaconus Cardinalis sancti Adriani s.

Datum Laterani, per manus Aymerici Sancte Romanæ Ecclesie Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, VIII. Kalendas Aprilis, Indictione III. Incarnationis anno MCLXI. Pontificatus vero Domni Innocentii Papæ II. anno XII. (a)

LXVI.

Privilegium pro Ecclesia S. Nicolai de Miseraico Bituricen.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiis, Geraldo Priori de Miseraico, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, in eodem loco religiosam vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

QUI religiosos fovet, & piis eorum desideriis faciliem præbet assensum, gratum Domino immolat holocaustum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus paterna benignitate annuimus, & Ecclesiam beati Nicolai de Miseraico, in qua divino vacatis servitio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & hujus scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, idem venerabilis Locus impræsentiarum justæ & canonicè possidet, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione si delium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Sancimus etiam, ut in eodem loco perpetuis futuris temporibus emiteat Religio, interdicitur etiam, ut nulli omnino hominum fas sit, de vestris laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, vel ex fructu vestrorum animalium, decimas exigere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatam vestram Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis igitur in futurum huic nostro decreto contraire præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, incurrat; & excommunicationi subjaceat. Conservantes autem hæc, omnipotentis Dei & eorumdem Apostolorum benedictionem & gratiam consequantur. Amen. Amen.

Innocentius Episcopus;

(a) Legendum undecimo, computo enim Dionysiano annus 1141, correspondet superiori anno 1140. xxx vulgaris, prout indicat Indictio tertia, quæ nonnisi hoc anno numerabatur, & respondebat anno XI. Pontificatus Innocentii.

Ecclesiam de Miseraico sub Sedis Ap. protectione recipit;

Bona ad eam spectantia conservant;

Decimas ab ea exigant;

vel quæcumque alia molestiam eidem inferri interdicit.

Ego Conradus Sabinen. Episcopus. Ego Theodewinus S. Rufinæ Episcopus. Ego Gerardus Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hierusalem. Ego Albertus Albanensis Episcopus. Ego Anselmus Presbyter Cardin. tituli S. Laurentii in Lucina. Ego Albericus Hostiensis Episcopus. Ego Chryfogonus Presbyter Cardin. tituli sancte Praxedis. Ego Rainerius Presbyter Cardin. tituli S. Priscæ. Ego Guido Presb. Cardin. tituli S. Cæcilie. Ego Octavianus Diaconus Cardin. S. Nicolai in Carcere.

Datum Laterani, per manus Aymerici Sancte Romanæ Ecclesie Diaconi Cardinalis & Cancellarii, III. Nonas Aprilis, Indictione III. Incarnationis Dominica anno MCLXXVI. Pontificatus Domni Innocentii II. Papæ anno XI. (a)

LXVII.

Damnatio errorum Petri Abaelardi, ejusque sectatorum.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, Henrico Senonensi, Reynaldo Remensi, Archiepiscopis, eorumque Suffraganeis, & carissimo in Christo filio Bernardo Claravallensi Abbati, salutem & apostolicam benedictionem.

Tstante Apostolo, Sicut unus Deus, una Fides esse dignoscitur, in qua tamquam immobili fundamento, præter quod nemo aliud potest ponere, firmitas catholice Ecclesie invariata consistit. Inde est, quod beatus Petrus, Apostolorum Princeps, pro eximia hujus Fidei confessione audire meruit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Petram utique firmitatem Fidei, & catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans. Hæc siquidem est inconstituta tunica Redemptoris nostri, super quam milites fortiti sunt, sed eam dividere minime potuerunt: contra quam in initio fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: asiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum: verum Apostolis dices Dominici gregis, & eorum successores apostolici viri, ardore caritatis, & zelo rectitudinis succensi, Fidem defendere, & eam in cordibus populorum proprii sanguinis effusione plantare non dubitaverunt. Demum, cessante persecutorum rabie, imperavit ventis, & facta est in Ecclesia tranquillitas magna. Sed quia hostis humani generis semper circumivit, querens quem devoret, ad expugnandam sinceritatem Fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam subinduxit: contra quos veri Ecclesiarum Rectores viriliter insurgentes, eorum prava dogmata cum ipsorum auctoribus condemnarunt. In magna namque Nicæna Synodo Arius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana Synodus Manichæum hæreticum debita sententia condemnavit. In Ephesina Synodo Nestorius con-

(a) Legendum anno quadragesimo, qui respondet anno undecimo Innocentii Secundi, & Indictioni tertia.

& S. R. E. Card. sub- scriptione.

Dat. die 11. Aprilis anno Dom. 1140 Pont. ann. XI.

Ex Lib. 1. Opus. tonis Frisigen. de Fide. rito, ubi de Concilio Senonensi contra Petr. Abaelardum.

Firmitas Catholice Ecclesie in unitate fidei posita.

Hec ab Apostolis proprio firmata Sanguine.

Et a Rom. Pontificibus damnationis auctoribus vindicta. Arius Manichæus Nestorius.

Eutyches damnatus.

Marciani Imper. ad Joannem PP. Licet adversus sacrorum Profanatores.

Item lex de non tractandis materiis in Synodis definitis.

Petri Abaelardi errores in Concilio Senonensi cogniti, & damnati.

Damnatio etiam ab Innocentio cum eorumdem auctore.

& sectatoribus.

Dat. die 27. Julii anno. Dni 1140. Pontif. anno XI.

dignam sui erroris condemnationem recepit. Chalcedonenis quoque Synodus Nestorianam hæresim, & Eutychianam cum Dioscoro & ejus complicitibus justissimè sententià confutavit. Marcianus præterea, licet laicus, christianissimus tamen Imperator, catholicæ Fidei amore succensus, prædecessori nostro sanctissimo Papæ Johanni scribens, adversus eos, qui sacra mysteria profanare contendunt, inter cætera sic loquitur, dicens: Nemo clericus, vel alterius cujuslibet conditionis, de Fide christiana publice conetur imposturè tractare: Nam injuriam facit judicio reverendissimæ Synodi, si quis semel judicata & rectè disposita revolvat, & iterum disputare contendit: & in contemptores hujus legis tamquam in sacrilegos poena non deerit. Igitur si quis clericus erit, qui publicè tractare de Religione ausus fuerit, a consortio clericorum removebitur. Doleamus autem, quoniam sicut literarum vestrarum inspectione, & missis a fraternitate vestra nobis errorum capitulis, cognovimus, in novissimis diebus, quando instant periculosa tempora, magistri Petri Abaelardi perniciosa doctrina, & prædictorum hæreses, & alia perversa dogmata, catholicæ Fidei obvia, pullulare coeperunt. Verum in hoc maxime consolamur, & omnipotentis Deo gratias agimus, quod in partibus vestris pro patribus vestris tales filios suscitavit, & in tempore Apostolatus nostri in Ecclesia sua tam præclaros voluit esse Pastores, qui novi hæretici fudeant calumniis obviare, & immaculatam Sponsam uni Viro virginem castam exhibere Christo. Nos itaque, qui in cathedra sancti Petri, cui a Domino dictum est: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, licet indigni, residere conspiciamur, communitate fratrum nostrorum Episcoporum Cardinalium consilio, destinata nobis a vestra discretionis capitula, & universa ipsius Petri dogmata, sanctorum Canonum auctoritate, cum suo auctore damnavimus, eique tamquam hæretico perpetuum silentium imposuimus. Universos quoque erroris sui sectatores & defensores a fidelium consortio sequestrandos, & excommunicationis vinculo inonandandos esse, censuimus.

Datum Laterani duodecimo Kalendas Augusti (a).

LXVIII.

Confirmatio honorum omnium & jurium, ad S. Pennensem Ecclesiam spectantium.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Grimaldo Pennensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Sicut injusta postulatione nullus est tribendus effectus, ita legitima postulatum non est differenda petitio. Ea propter, dilecte in Domino frater Grimalde Episcope, preces tuas

(a) Porro anno 1140. quo habitum est Senonense Concilium præsentibus Regibus Ludovico, Episcopis, & Abbatibus, inter quos S. Bernardus Claravallensis, ut dicitur probat Pagius contra Hensthemium Critic. Baronian. ann. 1140. num. vi.

Bull. Rom. Tom. II.

rationabiles clementer admimus, & Ecclesiam B. Marie, & gloriosi Christi Martyris ac Levitæ Maximi, præsentis scripti privilegio communimus: Satuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis legitimis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, ac illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Civitatem ipsam cum omnibus suis pertinentiis, videlicet cum casalibus Neto, Cese, & Casali, S. Joannem de Cypresso, Mezu, castellum, quod dicitur Collis-altus, villam de Paternella, Ecclesiam S. Marie de Liciano cum Ecclesiis & omnibus suis appendicibus, Ecclesiam S. Seretoni, Ecclesiam S. Saturnini in Collecortino, Ecclesiam S. Felicis de Monte-silvano, Ecclesiam S. Michaelis, & S. Joannis, Ecclesiam S. Barbaræ de Civitate S. Angeli cum Ecclesia S. Angeli, & S. Andrea, & S. Antimi, Ecclesiam S. Marie de Atria, Ecclesiam S. Marie de Masculo, Ecclesiam S. Marie de Planella, Ecclesiam S. Marie de Quana-civitate, Ecclesiam B. Marie de Catiniano, Ecclesiam S. Marie de Bistejo, Ecclesiam S. Petri ad Pennensem, Ecclesiam S. Clementis de Balbino, Ecclesiam S. Marie de Trevio, Ecclesiam S. Georgii ad Ornanum, Ecclesiam S. Ruffinæ de Aquilano, Ecclesiam sancti Angeli de Puteo, Ecclesiam sancte Marie de Rubelia, Ecclesiam sancti Laurentii de Fabrica, Ecclesiam sancte Marie de Brittuli, Ecclesiam S. Joannis in Balneo, Ecclesiam S. Marie de Podio. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertio emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax D. N. J. C. quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGO INNOCENTIUS Catholice Ecclesie Episcopus s.

Ego Conradus Sabinen. Episcopus s. Ego Gerardus Presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem s.

Ego Petrus Card. tit. Pastoris s. Ego Guido Presb. Cardin. S. Cæcilie s. Ego Gregorius Diac. Card. tit. SS. Sergii & Bacchi s.

Ego Octavianus Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere s. Ego Thomas S. R. E. Diac. Card. s.

Datum Later. per manus Aymerici S. R. E. Diac. Card. & Cancellarii, VI. Kalend. Novemb. Pont. ann. XI.

Bona ad Pennensem Ecclesiam spectantia confirmantur.

Decretum immunitatis a quacumque molestia, & violentia &c.

Innocentii PP.

& S. R. E. Card. sub- scriptione.

Dat. die 26. Octobr. anno Dom. 1140. Pont. ann. XI.

Indict. IV. Incarnat. Dom. anno MCXL. Pontificatus vero Dom. Innocentii Papæ II. anno XI.

L X I X.

Coenobium Sanctimonialium, in Tulba noviter constructum, in protectione Sedis Apostolicæ recipit.

Ex Authogr. edidit Fridericus Schannat n. xxviii. Probat Dicesis & Hierach Fulden.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Sanctimonialibus, in Ecclesia beati Lamberti Martyris Tulbenfi regularem vitam professis, tam presentibus quam futuris, in perpetuum.

Exordium.

Monasterium sub protectione Sedis Apostolicæ recipit.

Decernens, Ordinem Monasticum inibi servari.

Bona ad illud pertinentia confirmat.

Desiderium, quod ad religionis profectum, & animarum salutem pertinere monstrantur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilectæ in Domino filie, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipate estis obsequio, sub S. Petri & nostræ protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus secundum beati Benedicti regulam perpetuo inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona, ipsa Ecclesia impræsentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque posteris, & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: alodium videlicet, & beneficium in Tulba, quod Gerlacus, & conjux eius Regeline, devotionis intuitu cum multis aliis bonis suis Fuldenfi Monasterio tradiderunt, quemadmodum a bonæ memoriæ Conrado ipsius Monasterii Abbate, fratrum suorum, & prædicti Gerlaci consilio, cum quibusdam aliis bonis postmodum vobis Religionis intuitu concessum est: alodium Evermide: villa Luvis: Hamelemburg V. mansos & dominicæ: Erdale vij. mansos, in alia villa ejusdem nominis: dimidium mansum unius Lathonis, & quicquid præfatus Gerlacus & uxor ejus habuerunt Franchenborne & Wolfchershlegere: alodium Vostat, quod dedit uxor ipsius Gerlaci: Parrochiam ipsius loci, & villam unam Voestensasse: decimationem dominicalium Hamelemburg: & dominicæ Thiebac: Prohibemus etiam, ut nulla ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quam Sorores communi assensu, vel pars sanioris consilii, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam, providerint eligendum. Præpositus quoque nullus ibi alius præponatur, nisi quem Abbatissa communi Sororum consilio sibi idoneum elegerit. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, aut aliquibus vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum conservatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Fuldenfi Monasterii justitiâ & reverentiâ:

Abbatissam a Sanctimonialibus eligi;

Advocatum vero ab Abbatissa decernit.

Solus conclusiones.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat; Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus scilicet. Ego Albericus Hostiensis Episcopus subscripsi. Ego Stephanus Prænustinus Episcopus subscripsi. Ego Guido Sanctæ Romanæ Ecclesiæ indignus Sacerdos subscripsi. Ego Guido Presb. Card. Tit. S. Cæciliæ subscripsi. Ego Thomas Presb. Cardinalis Tit. Vestinæ subscripsi. Ego Otto Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum subsc. Ego Guido Diaconus Cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani subscripsi. Ego Octavianus Diaconus Cardinalis Tit. sancti Nicolai in Carcere subscripsi. Data Laterani per manum Gerardi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis & Bibliothecarii, XV. Kal. Aprilis. Indictione X. Incarnationis Dominicæ anno MCXLI. Pontificatus vero Domni Innocentii II. anno XIII. (a)

Innocent. PP. & S. R. E. Card. subscriptiones.

Dat. die 18. Martii anno Dom. 1141 Pontif. an. xiii.

L X X.

Confirmatio donationis a Godefrido Episcopo Florentino, cæterarumque donationum, factarum Monasterio Monialium S. Ambrosii Florentin. Diocesis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectæ filie Cæciliæ Abbatisse Monasterii sancti Ambrosii de Petra-plana, eiusque sororum tam presentibus, quam futuris regulariter subsistuentis, in perpetuum mansuris.

Ex Tom. II. Ital. Sac. ubi ac r. biopp. Florentini.

Ad hoc universalis Ecclesia, &c. usque fatigantur. Eapropter, dilectæ in Domino filie, vestris rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & præfatam beati Ambrosii Monasterium, quod in Florentino Episcopatu situm est, sub beati Petri & nostræ protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impræsentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu iustis aliis

(a) Vides Lector, quantas hic quoque ambages præferuntur notæ hæc chronologica, quas mirum est non advertisse relectorem, ceteroquin, ut ex ejus colloquio sapius mihi conicisse licuit, sapientissimum. Nota igitur si vis Indict. X. in quartam, & annum Pontif. Innocentii XIII. in XII. ut conveniat cum anno 1141.

allis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque succedentibus illibata permaneant; In quibus & Ecclesiam Sancti Michaelis in Palchito, sitam infra Civitatem Florentinam, cum omnibus suis appendiciis a Godefrido Episcopo Florentino vobis canonicè concessam, & suo scripto firmatam, proprio nomine duximus adnotandam: salvâ Ecclesiæ Florentinæ canonicâ reverentiâ. Recipiendi etiam oblationes tam pro vivis quam pro defunctis absque alicujus contradictione liberam vobis concedimus facultatem. Sepulturam quoque ipsius liberam esse sancimus, ut quicumque se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati sint, nullus obstat: salvâ tamen justitiâ matricis Ecclesiæ. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum vestrum Coenobium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, aut aliquibus vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur vestris, & aliorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis igitur ecclesiastica &c. Cunctis autem &c. Amen. EGO INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus scilicet. Ego Conradus Sabinensis Episcopus scilicet. Ego Gerardus Presb. Card. tit. sanctæ Crucis in Hierusalem scilicet. Ego Anselmus Presb. Card. tit. sancti Laurentii in Lucina scilicet. Ego Martinus Presb. Card. tit. sancti Stephani in Cælio monte scilicet. Ego Boethius Presb. Card. tit. sancti Clementis scilicet. Ego Guido Presb. Card. tit. sanctæ Cæciliæ scilicet. Ego Thomas Presb. Cardinalis tit. Vestinæ scilicet. Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi scilicet. Ego Otto Diaconus Card. S. Gregorii ad Velum aureum scilicet. Ego Vassallo Diaconus Cardinalis sancti Eustachii scilicet. Ego Ubaldus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Via lata scilicet. Ego Octavianus Diaconus Cardinalis tit. sancti Nicolai in carcere scilicet. Datum Laterani per manum Aymerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, IV. Nonas Maji Indict. IV. Incarnationis Dominicæ anno MCXLI. Pontificatus vero Domni Innocentii Papæ II. anno XII. &c.

Innocentii PP. & S. R. E. Card. subscriptiones.

Dat. die 12. Maji anno Dom. 1141 Pontif. anno xii.

L X X I.

Confirmatio Concordiæ, initæ inter Abbatem Cluniacensem, & Monachos S. Benedicti super Padum, in controversia, An hoc Monasterium illi subjaceat, in Abbatis præsertim electione.

Ex Biblioth. Cluniacens. Martier col. 1405.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conventui Clun. salutem, & Apostolicam benedictionem.

Series facti, & rationes utraque ex parte productæ.

Venientibus ad Apostolicam sedem dilectis filiis S. Monacho vestro, ac H. Monasterii S. Benedicti super Padum, procuratoribus, idem S. proposuit coram nobis, quod eum Monasterium memoratum a felicis recordationis G. Papa prædecessore nostro, Hugoni prædecessori tuo, fili Abbas, & successoribus ejus, fuerit dudum commissum, ut in ejus gubernatione atque custodia potestatem haberent, & studium procuracionis impenderent: ac obeunte Abbate ipsius loci, eorum diligentia provideret, ut in loco regiminis juxta beati Benedicti regulam, persona subrogaretur idonea; & quicquid in Monasterio in augmentum & observantiam Monasticæ religionis institui vel emendari etiam oporteret, eorum semper dispositione ac magisterio impleteretur, prout in felicis memoriæ Lucii, & Clementis, prædecessorum nostrorum authenticis asseruit contineri; Abbas & fratres Monasterii supradicti debitam tibi, fili Abbas, & Ecclesiæ tuæ obedientiam & reverentiam subtrahentes, super præmissis, & aliis, injuriosi tibi, & graves existunt, & a tua, & Ecclesiæ tuæ subjectione ac Monasterium suum subtrahere molientes: iidem quoque fratres Abbatem sibi eligere non formidant absque tua & fratrum tuorum conviventia, & consensu. Procurator vero Monasterii S. Benedicti proposuit ex adverso, quod cum Monasterium ipsum ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, & per privilegia Pontificum Romanorum fuerit ab antiquo libertate donatum, tibi vel Ecclesiæ tuæ subesse vel respondere in aliquo minimè tenebatur; quinimo ad fratres ejusdem loci tam dispositio, quam Abbatis electio pertinebat; adjiciens, quod, & si jus aliquod prædictorum privilegiorum intuitu Clun. Ecclesiæ competierit, illud penitus est absorptum, cum hæcenus negligitimo tempore, & Monasterium supradictum longissimo tempore plena fuerit libertate gavium. Proposuit insuper, idem Monasterium super capitulis prænotatis per bonæ memoriæ Eugenii Papæ prædecessoris nostri sententiam absolutum. Cum ergo super his, & quibusdam aliis, procuratores ipsi non desinerent altercari, & per venerabiles fratres nostros J. Sabinensem & N. Tusculanum, Episcopos, de mandato nostro fuerit de amicabili compositione tractatum, nobis mediantibus demum inter procuratores ipsos hujusmodi compositio intervenit: Ut cum in Monasterio sepedicto fuerit Abbatibus electio celebranda, fratres ejusdem loci absque requisitione vestra personam idoneam regulariter sibi eligant in Abbatem, qui si concorditer electus extiterit, munus benedictionis accipiat, & liberè administret, nullâ super his a vobis licentiâ expetitâ: ita videlicet quod is, qui fuerit in Abbatem electus, intra spatium primi anni unum, vel duos fratres cum suis literis ad vos dirigat, in quibus tibi, fili Abbas, & successoribus tuis, super observantia Monastici Ordinis obedientiam repromittat; & tunc Clun. Abbas vel per se, vel per alium, ad Monasterium memoratum accedat, ab Abbate ipsius loci corporalem super Ordinis observantia obedientiam recepturus: vel transmissas sibi literas, si maluerit, in testimonium obedientiæ sibi promissæ reservet. Quod si Abbatis electio fuerit in discordia celebrata, pro dirimendo hujusmodi dissentionis articulo ad Sedem Apostolicam recurratis. Item Abbas & Monachi supradicti loci de quadriennio in quadriennium aliquem ex confratribus suis ad capitulum Cluniacensem transmittant, qui audiat & recipiat, quæ ibidem fuerint super observantia Ordinis constituta. Præterea quolibet quadriennio Clun.

* forte deponitio.

Judices super hujusmodi controversia delegati.

Concordia inter utramque partem inita.